

rificatio, quæ consistit in eminentia gloriæ super reliquas omnes creaturas, adeò ut hic homo ab omnibus creaturis rationalibus agnoscatur pro filio Dei: ac proinde ut verus Deus adoretur, Phil. 2. 6. 9. 10. & 11.

---

### Locus II.

De

### *Officio Christi.*

Aphorism.

1.

**O**fficium Christi triplex est, Prophetæ, Sacerdotis, & Regis.

2 Prophetæ munus in propria persona Christus obiit, cùm in terris versans Evangelium prædicavit, consilium Dei de salute nostra per ipsum procuranda, revelando, doctrinamq; revelatam divinis miraculis confirmando.

3 Sacerdotis officium Christus partim peregit, in statu humilationis, tum preces pro nobis fundendo, tum sui ipsius corporis sacrificium Deo patri pro nobis offrendo; partim adhuc peragit in statu exaltationis sive glorificationis, cum victimâ semel in terris oblatâ coram facie patris apparendo, electorumq; salutem æternam constanter volendo.

4 Regium munus Christus administrat,